

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens.

Ave maris stella,
 Dei Mater alma,
 Atque semper Virgo,
 Felix cæli porta.
 Sumens illud Ave
 Gabriélis ore,
 Funda nos in pace,
 Mutans nomen Hevæ.
 Solve vincla reis,
 Profer lumen cæcis :
 Mala nostra pelle,
 Bona cuncta posce.
 Monstra te esse matrem :
 Sumat per te preces

Qui pro nobis natus
 Tulit esse tuus.
 Virgo singularis,
 Inter omnes mitis,
 Nos culpis solutos
 Mites fac et castos.
 Vitam præsta puram,
 Iter para tutum :
 Ut videntes Jesum
 Semper collætémur.
 Sit laus Deo Patri,
 Summo Christo decus,
 Spirítui sancto,
 Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℞. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antiphona. Sancta María succurre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu.

Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salute gaudere : et gloriósa beátæ Mariæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætéRNA pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Ad Memoriam de beato Patre nostro Dominico.

Antiphona. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

℣. Os justí meditábitur sapiéntiam. ℞. Et lingua ejus loquétur júdicium.